

1365 latino nomine abnegato, se græcanico ritu victuros professi sunt. Ea hostium conternatione in spem bene gerendæ rei Justinianus ductus, continuo ex insulanis, qui in fide erant, ad quadringentos equites peditesque conscripsit; cum his Candace profectus in Siuritos duxit. Res hic, expugnatis hostium munitionibus, quas illi alta macerie sepserant, bene gesta est. Nec minus ad Milopotamum fæliciter aliisque plerisque locis illis ipsis diebus bellatum. Lepternii Alexium Calergum cum fratre & liberis Cressio Molino, qui, Zeno ad Milopotamum cadente, in insulam venerat, tradidere: hos ille cum Zanachio Molino gentili suo (qui & ipse ex defectionis auctoribus unus ferebatur) Candacem ad supplicium traxit. Georgii quoque Calergi conjunx & liberi per eos dies in Venetorum potestatem venere: qui & ipsi eodem perducti sunt. Justinianus & Nicolaus Trivisanus fractas insulanorum opes persecuturi, non longe ab Anopoli copias jungunt. Erant hic plerique & Latini & Græci nominis hostes. Erat locus natura munitissimus, arduaque asperitate inaccessible: unaque tantum via, nec alia ulla ad hostem ostendebatur, si promontorium quod urbi imminebat, Venetus occupasset. Quod quum legati non multo post fecissent, paucis diebus oppido potiti sunt: Joannes & Georgius Calergi, ac plerique Veneti nominis rebellium capti sunt, ac Candacem perducti. Ferunt Georgium ipsum in spelunca cum Joanne fratre latitantem tentasse in hostem sagittam emittere: sed illum arcum fre-gisse, *Stultum esse*, dicens, *eum irritare, in cuius potestatem scias te paulo post venturum*. Et illud non mediocriter urbanum, quod in quendam ex principibus defectionis captum a gregario milite responsum ferunt. Tradunt illum, quum Candacem ad supplicium traheretur, petiisse sibi vulnus quod acceperat, obligari, atque foimenta aliqua adhiberi. Tum vero non infulse militem, qui illi hærebat, ipsis vulnus neque medico indigere, neque medicina, dixisse; apparuitque ab eo manifeste allusum ad captivi hominis supplicium, qui paulo post se-curi